

Hartmann Möring Barthold Eggebrecht

## **Disputatio Politica De Obligatione Patris & Filii Mutua**

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730579018>

Druck Freier  Zugang



RU phil 1663  
Hertmann Möring  
Barthold Eggbrecht









DISPUTATIO POLITICA  
De  
Obligatione  
PATRIS & FILII

Mutua;

Quam  
Cœlestis Patris gratiâ

&

Parrum Philosophicæ Facultatis suffragio  
sub

Præsidio

M. HARTMANNI Wörings/  
BARTHOLDUS Eggebrechte  
L.L. Studiosus.

Publico Doctorum scrutinio  
reverenter proponit

Die 31. Jan. horis matutinis

In

Acroaterio majori



ROSTOCHII,  
ex Typographia KILIANA, An. M. DC. LXIII.









DISPUTATIONIS POLITICÆ  
de  
OBLIGATIONE PARENTUM ET  
FILIORUM MUTUA.

Cap: Parascevasticum,

§. I.



Uod omnis Civitas societate  
quâdam contineatur, societas autem  
mutuâ sociorum obligatione, ad boni  
Civilis assencionem, conservetur, id,  
tanquam exploratissimum, extra con-  
troversie limites sequestramus. Nam  
quamvis omnis obligatio, ut juris vin-  
culum constringat, jus tamen est Civi-  
lis societatis descriptio, & radicaliter ita  
fundatur in Politicis, ut ex universali-  
bus principiis Philosophicis sua speciali-  
ora deriver, & ex dictamine politico pragmaticas sanctiones consti-  
tuat, hinc incrementa sumens, ubi politica terminatur. Unde de  
Obligationibus Paternis & Filialibus in communi disserturi Philoso-  
phicè procediamus.

§. 2. Nec tamen arbitramur, nos omnem obligatoriarationis  
abyssum hoc pacto exhaurire posse: Nam Lex naturæ, lumine natu-  
rali post lapsum obtusiori, non eâ in omnium animis pollet efficacia,  
ut singuli, quid facto opus sit, intelligant; sed circâ propria muma

A 2

ador-



adornanda talpâ sæpius cæciores collectionibus particularibus instituis  
endis impares sunt; quod Plat. Dial. 9. de LL. inculcat, quando ne-  
cesse est, inquit, *leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant: nam  
si abs hisce viverent, nihil à feris atrocissimis discrepant.* Cujus rei  
causa est, quia nullius hominis ingenium ita institutum est, ut, quæ ad publi-  
cum humane vitæ commodum conferunt, sufficienter cognoscat; & si agno-  
verit, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit. Rationis  
ratione addimus hanc, quod, qui nec virtutis amore ad agendum inducitur,  
nec odio vitii ab actione alienior abhorret, timore pœnarum legibus  
expressarum efficientissime deterreatur, ne bona omittat, aut mala  
perpetret. Quomodo naturalis obligatio legali adjuvatur, & cir-  
cumstantialiter vestitur ac perficitur. Quem obligationis processum  
Jureconsultis relinquimus, politicum duntaxat adumbraturi.

§. 3. Inscribimus autem eum, ex instituto, Politicum, non  
Oeconomicum, quia non à partialiori, sed integraliori, non ab ap-  
pendice, sed capite titulus denominativus desumendus est. Partes  
verò & totum unâ doctrinâ continentur, nec tamen unquam pars  
constituit totius genus. Præterea mutuam Patris & filii officium,  
angusti rei familiaris terminis non circumscribitur, sed ad Reip: bo-  
num, & commune universæ civitatis commodum extenditur. Con-  
feratur apud Pl. Athen. l. 9. de Leg. latione. itaq; Politica futura est  
hujus doctrinæ dispositio. Nec quisquam facile ibit inficias, subli-  
miorem eam esse Politicæ particulam, quia obligatio alterius ad alterum  
non est nobilior, aut, si à conjugali discesseris, strictior, eâ, quæ est in-  
ter Patrem & filium, quod etiam Arlem movit, ut mutuam inter hos  
consuetudinem *εν τῷ πατρί & τῷ υἱῷ πολιτείας* delineet, cum tota fami-  
lia existat pars Civitatis, partis a virtute ad totius virtutem referatur. Vide-  
atur circa fin. l. 1. Polit: Tum *imperium paternum sit Regale, Regiæque  
potestatis species & forma quædam* lib: 8. pol: cap. 8. nec etiam insti-  
tutio Patris familias & Principis Civitatis specie, sed multitudine  
tantum & paucitate differat.

§. 4. Ut verò Obligationis hujus forma enucleatius innotescat,  
homonymica in antecessum exactius evolvenda sunt, quorum gratiâ  
obiter notamus, OBLIGATIONES alias esse naturales, insito quo-  
dam motu, ex discretione honesti & turpis, in ipsâ æquitate acquiescen-



ees; alias verò, ut sint adminicula legis infitæ, esse sive divinitus imperatas, quales sunt leges Levitica & forenses, annexæq; moralibus promissiones ac comminationes; sive humanitus superadditas, easq; aut Canonicas, ex Decretis ac Decretalibus vires fumentes, aut Prætorias, seu Honorarias, in defectu legis expressæ indictas, aut Civiles, in jure Civili ac Gentium fundatas, quæ vel ex contractu, aut quasi contractu, oriuntur, vel ex delicto, sive etiam quasi delicto nascuntur; quarum priores modaliter, reali, verbali, literali, & mentali conventionione inter se discernuntur, posteriores in universum omnes ex re, sive maleficio contrahuntur.

§. 5. PARENTIS vocabulum dignitate fulget, & strictissimè honorat eos, in quorum potestate sunt liberi; generaliter tamen insignit, tam matrem, quàm patrem, & usitato in plurimis linguis idiomate indigitat cum naturalibus etiam Civiles patres, patres & naturæ, & curæ. Patres naturales dicuntur, qui exactu generationis referuntur ad filios. Tralatitè patres nostri sunt animæ Pastores, quorum vigilantia renascimur, spiritualiter nutrimur, & Viri perfecti accrescimus Vid: 1, ad Corinth: 4. v. 15. cujus intuitu Papæ, Abbatum & Patriarcharum nomina primùm adinventæ sunt; Conferatur cum Suidâ Hom: 6. Odyss: Patres etiam rectè æstimantur Magistratus tutelares, sub quorum alis vitam auspicamur, conservamus, & consummamus. Quæ providentiæ cura principibus feccialium imposuit nomen patrum patratorum, quod, si interpreteris, est perfectorum, & plenè elaboratorum. A quâ etiam Romulei Senatores Patres Conscripti, Concilioq; adscripti Patres allecti audiunt; & Patres patriæ, Principum primicerii, præter Patrum filios, inde salutantur Patricij. Patres nobis sunt Præceptores, à quibus cum Alexandro M. æstimabilius percipimus bonum, quàm à Parentibus naturalibus, nam patrant nobis vitam honestam, tranquillam, beatam, divino Numini assimilatam, quâ sine conformitate vita humana est vivi hominis sepultura. Summatim Patres nostri existunt Catores censorii, curatores, adoptantes, & si qui alii majores nobis benè cupiunt, nostri Patroni.

§. 6. FILII Vox libertatis & essentia *κατ' ἐξοχήν* venit pro filio familias, ex principio vitæ conjuncto, in similitudine speciei infimæ generato, & formaliter subolem masculinam designat; consono autem scriptorum suffragio, tanquàm dignior sexus tessera fœmineū concreetè  
Sub



subinfert, æquivalens T<sup>o</sup> Liberi, & supponit pro partu, aut legitime  
sive naturali, sive adoptivo, aut illegitimo, sive notho, sive spurio. Ge-  
neralissime denotat minores omnium statuum, ætatum, & conditio-  
num; minus proprie repræsentat foetum animalium, & perfectorum, &  
imperfectorum, eorumq; tam plantanimalium, quam insectorum.  
Imò verò Ebraismo non ineleganti, haud raro transfertur ad res inani-  
matas, mineralia, ignem, nubem, aliasq; innumeras, plasticâ virtute  
protrudentes sibi homogenia.

§. 7. His præsuppositis, profiteamur, præsentis discursus cardi-  
nem præcipue verti circa obligationem naturalem, quæ patri patranti  
cum filio generationis objecto mutua intercedit, & simul nexum offi-  
ciosum matris, filiaq; obœdiens debitum virtualiter complectitur:  
Quemadmodum enim bruta *ovium Deas* affectu ad suæ prolis amorem  
inducuntur, quæ ad redamandum naturæ similitudine, sensuumq; cogna-  
tione abripitur; sic Parentes diligunt Liberos suos, ut qui sui quippiam  
sunt; Liberi verò parentes, ut ab illis quippiam: quæ amicitia liberis est erga  
parentes, tanquam erga bonum atq; excellens. Arles lib: 8. Eth: Cap: 12:  
Cum autem bonum non moveat nisi cognitum, & distinctæ cogniti-  
onis principium sit intellectus, quem voluntas sequitur, beneficio sa-  
næ rationis aiter ad alterius amorem, & favorem pettrahitur, amorisq;  
beneficio obligatur.

§. 8. Obligatio hæc materialiter coincidit cum Societate, nam  
Homo est animal Politicum, juxta Arlem lib: 1. de civit: cap: 2. Quod  
Ramus egregie interpretatur, *Hominem*, dicens *suapte naturâ Civile, &*  
*urbanum ac populare animal esse: qui autem nullâ vi, fortunâ, casive coa-*  
*ctus, sed suâ sponte ac voluntate solitarius vivit, aut improbus est, aut homi-*  
*ne melior & excellentior, aut Bestia, aut DEUS existimandus est.* Conf:  
prolix: loc: cit: *Hominem autem ad Societatem colendam adigunt*  
*præter naturæ præscripta, indigentia & injuria, tam domesticæ, quam*  
*externæ.* conferatur Obertus Giphanius. in prælo: Polit. Naturali  
igitur instinctu, studioq; ad Civitatem communitatem rapimur & incen-  
dimur, verbo, obligamur.

§. 9. Formaliter importat officium, quo quis adstringitur ad  
præstandum alteri, quod suum est, Pater filio; Patri filius. Pater fili-  
um humanitatis beneficiis fovet, Seniore junior reverentiæ cultu ve-  
neratur. Benevolentiam patris filio debent laqueus eloquentiæ font:  
3. de fin.



3. de fin. ceterè proponit; *Hæc*, differens, inter se congruere non possent, ut procreari quid natura vellet, diligi autem procreata non curaret. Conferatur idem i Off. passim. Obsequium autem Parentibus à liberis exhibendum esse pietas evincit; nam partem vitæ Parentes sibi vendicant, à quibus vitam, & omnia accepisti. Est ergò erga Parentes amicitia liberis, & hominibus erga Deos tanquàm erga bonum atq; excellens; beneficia enim maxima contulere. Hæc se itaq; mutuò comitantur, quia benefacta honorem merentur, Reverentia gratiam parit; mutuusque affectus cognatione sanguinis sustentatur. Sed de utroq; officiorum genere seorsim.

§. 10 Patris autem obligationem præmittimus obligationi filii, nam Pater genere par, & æqualis, naturâ superior, & præstantior est. Hinc perinde ut Amasis argumento pelvis demonstravit, in Timocraticis Magistratibus & habitus, & orationis, & honoris excellentiam esse servandam, vid: Arles i. pol: 8. ità patrio muneri pro eminenti dignitatis gradu iure merito vendicamus præcedentiam præ liberorum officiolis, natura enim præest Pater filiis confer: cap: II. lib. 8. Quia hæc ab illo dependent, & sicut tanquàm effectum efficienti cedunt. Nam filii maxima ex parte obligantur Parentibus propter beneficia, quæ ab ipsis receperunt, ut ita necesse sit beneficiorum Paternorum magnitudinem prius cognitam esse, quàm de obligatione liberorum, quæ hinc nata fuit, decernere queamus. Aristæus lib: 1. de Rep: cap. 4. sect. 4. n. 1. Nec potuissent quicquam consequi, nisi Parentum beneficium antecessisset. Seneca 3. de Beneficiis 30.

## Cap. Secundum.

de

# OBLIGATIONE PATRIS

erga FILIUM.

Arles 8. Eth: cap: II. introducto Homero Agamemnonem à beneficiorum Regalium munificentia populorum Pastorem proclamante de intimâ Parentum benevolentia ex naturæ præscripto in liberos propendente subjungit: *Talis autem paterna etiam est, tamen si differat magnitudine beneficiorum. Autor enim est τὰ ἐῖναι, καὶ τροφῆς. καὶ ἡγεμονίας.* Naturâ enim Pater præest filiis. Quibus verbis imperium paternam



paternum constituit Regiæ potestatis speciem & formam, videt cap. 8a lib. 1. Pol. & naturalem *æternam* tribus momentis, nimirum originatione essentia, seu generatione, nutritione, seu educatione, & institutione, seu morum conformatione differre absolvit atq; cap. 12. repetit, *Parentes esse causam, ut & simus, & enutriamur, & procreati erudiamur*, de quibus ordine, prælibato obligatorie rationis fundamento, ejusq; qualitate.

§. 2. Cum Philosopho gradus hos superstruimus ipsi naturæ, non solum quia naturæ consentanei à naturæ lege ponuntur, quod Timæus lib. 2. Oecon. c. 4. ratiociniis numero, non pondere plausibilibus evincendum sibi sumit: Verum etiam quod à DEO & naturâ illis insitus, implantatus, & innatus est. Licet enim connata enti à primo sui ortu inesse incipiant, innatorum tamen datur disparitas; cum in illis tempus à naturâ preparatum, quod cognitione cognationis essentialis intus determinatur, semper attendendum sit, non quod cum primum incipiant, sed realiter se exerant, quia enim ad ignota nullâ ferimur cupidine, improprietatis mediis finis antea non poterat obtineri. Omnes autem motus innascuntur, qui ex causis naturalibus in corde quo cunq; tempore habitualiter & intrinsicè efformantur, itaq; non obstat, eos in lucem editos demum diligi à Patre, & post sensum vitalem à Matre; nam antè vitalitatem eo affinitatis nexu foetus Matri nondum conjungitur; antè partum à nondum patris, sed naturæ, in cuius potestate est, filius patrem specialissimè non attingit. Quomodo rectè cum paternitate recipiatur obligatio. Tum ipse sensus cum rectâ ratione in animis Parentum procreat amorem, qui quanquam nonnunquam in odium vertitur, non tamen in naturæ effectui, sed defectui; non analogiæ, sed anomalie adscribendum. Neq; infringit nostræ sententiæ robur, quod multi ab uxoribus persuasi & decepti eos quandoq; pro germanis foetibus habere, & opinionis errore paterno amore suscipere creduntur, qui nihil minus sint quam genuina proles. Vehementer enim dubitamus, an quis adulterinum foetum amore verè paterno excoleatur; quo tamenposito, cæcus amor pravis affectuum dispositionibus lumen naturæ obsuscantibus præter naturam generatur, in æqualitate aliquâ, infanti ab uxore, quæ aliquid Mariti communicata, querenda est causa, à qua amatum tropicè appellari potest filius amantis; in qua improprietatis catena amorem innati &

natu-



naturalis titulo insignire nihil vetabit. Nec tamen hunc amoris ardorem quis temerè dixerit naturalem, qui patri putativo cum illegitimè nato ex morali communione, & quotidiana conversatione duntaxat intercedit.

§. 3. Qualitatem collocamus in quantitate intensivâ, cujus Vir-  
tute obligatio parentum major est obligatione liberorum; seu amicitia  
erga liberos non est ἐν ἰσότητι, sed κατ' ὑπεροχὴν lib. 8. Eth. c. 13. Nam  
qui procreavit, & amicitia, & ætatis jure imperium obtinet. i. d. Civit. c. 8.  
Nec tamen quâ debitum, quod liberorum est arctissimum, qui cum vitâ  
quicquid possunt Patri debent. Sed tantum quâ naturæ instinctum,  
quod Stagir 8. Nicom. 12. explanat, magis, inquit, norunt Parentes quâ  
ex se sint, quàm nati, se ex illis esse, ac propius conjunctum est genito id, à  
quo est, quam procreatum procreanti. Est enim quod à quoquam est, proximi-  
um ei, à quo est. Unde etiam constat, cur Matres magis ament. Et, post  
alia, impenforis amoris argumentum desumit ex multitudinem temporis;  
Patres enim recens natos diligunt; filii verò progressi temporibus, cum  
intelligentiam vel sensum nacti sunt, amorem redhostiunt, illi natura-  
liter, hi naturali ratione; amor autem cū tempore semirificè extendit, &  
sensum latius diffundit, nec sede perfectè occupatâ dimoveri patitur, ut  
ita novitius inveterato vix comparari queat. Parentes igitur liberos ut  
se ipsos amant, qui enim ex ipsis oriuntur, sunt quasi alteri ipsi l. c.

§. 4. Præterea paterni amoris flamma magis vivida est filiali lych-  
no, quia amor tanquam immortalitatis desiderium descendit, non  
ascendit, ad spem, radicem, & columnam sui generis, quibus immorta-  
litatem consequitur. Unde summi Reges & principes in Tapeis flammis  
descendentes habent, quod diligant subditos, & quod velint esse benefici erga  
subditos; ipsosq; sovare, & contra injurias defendere. Rich. Ax. hist. 228.  
conf. ibidem prolixior ejus relatio de Murmelio super Virgiliano: *Omnis  
in Ascanio chari stat cura Parentis*: Sic Neander ad Eurip. notat, liberos  
esse ipsam vitam, summamq; voluptatem parentibus, & unicum oble-  
ctamentum, ex Hec. citans illud: ὅς μόν' οἴκων ἀγνευεῖ ἐμῶν: qui-  
bus similia leguntur, in Iphig. Taur. εὐλοὶ γδ' οἴκων εἰσι παῖδες ἀγοσνεε;  
quæ Andromache querula suo suffragio egregiè exornat, gemens  
εἰς παῖς ὅδ' ἦν μοι λοιπὸς, ὀφθαλμὸς βίης: ἐν τῷδε μὲν γδ' ἐλπὶς εἰ  
σωθήσεσσι: ἐμοὶ δ' ὄνειδ' μὴ γενεῖν ὑπὲρ τέκνα. Vita est omnium

B

bono-



honorum præstantissimum, quam cum parentes pro liberis non ponere religioni & dedecori sibi ducant, amore parentum major nullus esse potest.

§. 5. Intensio ejus symmetricè etiam colligitur ex ineffabili dolore parentum super calamitatibus filiorum, qui cum ex læsione amoris sensu percepta vehementer afficiat, hic integer sanè fuerit inæstimabilis. Dolor uxoris Neopolemi ex fato filii adverso sterilitatis infelicitatem in Eurip. prædicat beatam. Testimonio Pflammeniti, haut ἀσπόμενῃ, visâ filiâ prophanatâ, conspectoq; filio ad mortem rapto, neq; ejulantis, neq; flentis, sed domestica mala lacrimis majora pronunciantis, immensus concitatur dolor, ex liberorum fortuna novercâ. Quò concentrat Timantes, vultum Agamemnonis, virginem filiam, pro totius exercitus salute, immolationi offerentis, non tæore squalidum, nec macie deturpatum, sed rectum pingens, declaraturus, penetrantem affectuum affectionem artis imaginibus non positivè delineari, sed negativè tantum adumbrari posse; profundiori autem ruminatiõni altiora relinquenda esse. Quod si itaq; tanta mali filiorum lamentatio, quantum fuerit amoris gaudium de prospera illorum incolumitate! Proportionem instituit Plat. in Alcib. elegantissimam, p. 45, ubi conf.

§. His degustatis ad ipsos gradus ex amore obligatorios properamus. Horum tam naturæ, quàm dignitatis ordine, quia reliqui ex eo resultant, & tanquam minus essentielles consequuntur, *essentie originis communicatio* primus est, cujus beneficio parens seminali generatione corpus instantaneè producit, animam vero, sicut lux à luce accenditur, in & cum materia tanquam traduce propagat. Ita, qui antea non erat homo, per hominem generatur, & gignens sibi acquirit parentis nomen. Cùm autem naturatum sapiat naturam sui naturantis, conf. in terminis Pl. in Men. non tenetur ad præstantiora patranda, quàm facultates viriles permittunt. Causatum nunquam evadit nobilius suâ causâ; fons generationis est corruptus, natura corrupta opus corruptum edic, ut, quale est propagans, tale sit propagatum, qualis pater, talis filius, simile generat sibi simile, nisi Heroum filii noxæ, quomodò Africano sæpe gignitur Scipio, Quinto Hortensio Hortensius Corbio; nam natura senescens & deficiens declinat ad deterius: vide sis Hor. l. 3. carm. Od. 6. sufficit ergò ad hanc paternæ obligationis classem simplex *essentie communicatio*.



§. 7. Obligari verò Patrem ad ejusm. generationem, nos non vocamus in dubium. Consideres eum sive ut genitum, sive ut gignentem, sive ut maritalem, omnibus modis ad generationem filii necessitabitur. A Patre vitam haber, eandem æquitate ductrice communicet filio. Honorarium Patris nomen affectans generandi potentiam in actum deducat; negatà relationis basi relatam cum correlato corruiat; Proinde aut generatione Pater fiat, aut famoso crimine nobilitatus Patris nomen non appetat. Et, non temeraturus maritalem titulum, subolem procreet. *Liberi enim sunt vinculum copulæ conjugalis; nam liberi commune bonum ambobus est, connectit autem quod commune est; idè citius, qui liberi carent, dissolvuntur.* Arl. I. 8. Nic. c. 12.

§. 8. Quemadmodum verò sub forma humanitatis ad generationem sui similis compellitur, sic multò magis sub ratione animalitatis ejus officii convincitur; *animalibus enim procreatio prolis est communior, & homo animal gregabile ad conjugium magis propensa res, quàm ad civilem societatem.* l. c. Gerit femina multiplicationis, quæ, à Deo & natura, ne utiquam frustra concessa, serenda sunt. Est naturæ optimæ, imperiatur suam essentiam pluribus hyphastamentis; quam consideratione Th. de Aquin. q. 98. art. 1. tanti facit, ut, præpostero tamen judicio, carnalia spiritalibus præferendo, non erubescat asserere, *si in statu innocentia non fuisset generatio ad multiplicationem generis humani, hominis peccatum fuisset necessarium valdè, ex quo tantum bonum consecutum sit.* Conceptus est in inordinatæ concupiscentiæ fomite, restinguat illum mediis licitis; Est mortalis, reviviscat in posteris; *ὡόνος* fovet, fiat generationibus sempiternus; in persona corruptibilis vivat in specie sine fine. *Sophroniscum Socrates non patitur expirare.* Ea propter non relinquatur cuilibet liberum, indifferenter aut generare, aut à generationibus abstinere; sed generandi fecunditate vegetus necessitate naturæ generat.

§. 9. Huc non inconvenienter quadrat Pl. in LL. nupt. dial. 4. præscriptum: *Vxorem quisq. à 30. anno usq. ad 35. ducat; si non duxerit, pecuniâ muldetur, atq. dedecore, ducat autem cogitans, quod natura quadam humanum genus immortalitatem consequitur, cujus rei quisq. natura summo pere cupidus est: nemo enim est, qui non desideret perpetuum apud posteros nomen habere. Genus itaq. hominum immortale hoc modo in sempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo unum & idem semper per generationem immortalitatem adipiscatur.* *Nefas autem est immortalitate se*



ipsum sponte privare. Hæc verò ex animo ille se privat, qui filios negligit. Quicumq; legi huic obtemperaverit, indemnus esto; qui verò non paruerit, & 35. annos natus uxorem non duxerit, ne solitariam vitam lucro sibi, & voluptati censeat fore, tantà in annos singulos mulctetur pecuniâ, neq; eorum particeps honorum sit, quos juniôres quotidie senioribus exhibent. Cui genera extant dial. 6. nervosè explicata dial. 7.

§. 10. Huic asserto ad stipulatur Camilli & Posthumii Censorum constitutio, quæ æra pœnæ nomine eos, qui ad senectutem cœlibes pervenerant, in ætarium deferre jussit, iterum puniri dignos, si quomodo de tam justa constitutione queri essent ausi, quos in hunc modum increpantur: *Natura vobis, quemadmodum nascendi, ita gignendi legem præscribit.* Val. M. l. 2. de Cens. sever. Eodem facit Arl. l. 7. pol. c. 16. *Communio nis, societatisq; legibus sancientiis parentum rationem esse habendam, ne viri & femine vires & facultates ita discrepent, ut liberos creare vir possit, mulier non possit, aut hæc quidem possit, ille non possit.* & 8. Eth. 12. *homines procreandæ subolis causa simul habitant.* Ad hoc mulier viro in adjutorium præcipue creata est. Conf. ex Plin. l. de avib. c. 33. brutorum generatio; quæ si tanto conamine ad pullorum procreationem non sine insigni molestia collaborare à natura inducuntur, quis hominem animalium perfectissimum, & maxime socium, ultra bestiarum sortem revicturum, obligatoria hæc lege eximet.

§. 11. Tempus parrationis filialis præscribunt Philosophi tam annosum, quam annuum. Prius determinant virile, non senile, nec juvenile, ob rationes satis prægnantes, conf. cum Plat. superius Cic. Arl. 7. Pol. 16. de Oraculo Trezenis edito; ubi annum mulieribus assignat circiter duo deicesimum ad quinquagesimum, maribus autè *ὡς ἐν γυναικὶ* tricesimum septimum ad septuagesimum. Annum autem expolcit brumale. Nobis ver videtur generationi commodissimum, tum quod vires novas, cum natura renascente, in omnium rerù jucundissimo flore, reficit, collapsa reparat, salubresq; Aquilonios sæpe numero spirat, tum quod, cum aeris temperie, temperamenta hominum purgat, & calidis humida, proportione transplantationi aptissima, admiscet. Quæ tamen citra ullius præjudicium dicta volumus: suum quisq; sequatur sensum. Benedictio divina nullo anni tempore sterile scit.

§. 12. Status gignentium certis etiam includitur cancellis, cum Parentum formosa membrorum proportio decentem liberis & harmonicum



niscum ingeneret corporis habitum, atq; affectio habitus a imprimatur procreato ab affectione procreantis. Sic Diog. ap. Plut. temulentum juvenem alloquitur: *Pater tuus te ebrius generavit*: & Arl. l. 7. pol. c. 16. *que corporis in parentibus affectio requiratur, ut inde commodissima corpora liberis ingenerentur, καὶ ἀσθενεῖς ἰσχυροὺς* recenser, cujus sententiæ cautiones aliæ annectendæ, ne partus seu temerariâ violentiâ, seu vecordi corpore, seu nimia affectuum mentis aut tristitiæ perturbatione, seu monstrosâ imaginatione, seu nocivo alimentò, seu alio quopiam casu omninò negligatur. Ita natura defectus supplebit, aliq; enormia emendabit, semper intendens optimum.

13. Officium generationis excipit obligatio ad *alendum*. Quam enim in artificialibus artifex re confecta ab operatione suo jure cessat, naturalitamen opus opificem stringit, ad conservationem operati. Ita prognatum à gignente, ut fruges & fructus ex semine, suscipiunt alimenta. Quò nobilior est forma, eo efficacior est effectus, & etiã ratione durationis, præstantior; sicq; author vitæ nostræ vitam fovere tenetur. Arl. 1. Pol. 7. *Naturæ opus est procreare alimentum præbere; à quo enim procreatum est unumquodq;, ab eodem educatur & alitur*. Nã foetus à fovendo dicitur, quod, qui illum edit, etiã fovere necessario debeat. Hinc & orbum mutilumve nutriendum, numerosiores quoq; agnoscendi, abortu non excludendi, nec abjiciendi, nec exponendi sunt, contra Arl. l. 7. Pol. c. 16. *moresq; gentium? Nam cui bono quicquam fiat, nisi factum vigeat? Minimum est beneficium Patris, Matrisq; concubitus, nisi accesserint alia, quæ prosequerentur hoc initium muneris, aliis officiis ratum facerent*. Sen. 3. de ben. c. 32. Ante omnimodam sui perfectionem tenuiores alimenti adsumpti spiritus à matre participat semen, ecurr elaboratum non gaudet subministracione cibi. Censores ap. Val. M. *parentes alendo nepotum nutriendorum debito sub pudore alligant*. Ut itaq; liberi per accidens, ob propriam affluentiam, & parentum indigentiam parentibus ex miseratione alimoniam debent; sic parentes ad nutritionem liberorum per se tenentur, quia genuerunt.

S. 14. Hujus gratiã natura per longos anfractus mammis lac instillat, quod expeditiori cursu per singula corporis membra distribui, & venis insinuari poterat, ut tanquam provida mater proli de victu prospiciat, eoq; convenientissimo. Quo facit Phavor. ap. Gel. l. 12. c. 1. *debere mulierem totam integram esse matrem filii sui, quod enim hoc est con-*



eraturam imperfectum atq; dimidiatum matris genus, peperisse, ac statim ab se abjecisse, aluisse in utero sanguine suo nescio quid, quod non videret, non aere nunc suo lacte, quod videat jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem &c. Quapropter ea, juxta Art. 1. Pol. §. vietus parandiratio videtur à natura omnibus ingenerata & instita, etenim animalia quæ ad am procreationis initio unâ cum sætu tantum nutrimenti pariunt, quantum suboli satû fuerit, & insito sibi ac nativo lactis nutrimento ad quoddam tempus suos sætus alunt Sicut summâ æquitate aves fœtibus alternant cibum, leones & pardi naturæ stimulo ducti suis suppeditant victû convenientem generationibus.

§. 15. Nutrimenti obligatio subministrat omnia ad vitam necessaria, tam corporis, quàm fortunæ bona, cibaria, vestitum, habitationem, cæteraq; ad tuendum, curandumq; corpus utensilia, seu omnia vitæ onera & necessitates, de quibus Art. 7. Pol. 17. Procreatis, inquit, plurimi referre judicandum est, ad corporis vires confirmandum, quibus alimentis nutriantur. Nam. 1. Pol. §. multa sunt alimentorum & nutrimentorum genera, unde tum bestiarum, tum hominum varia vitæ, & discrepantes exsisterunt. Hæc verò nutritionis genera ad temperamentum status & ætatis nutriendorum varianda sunt, quia non omni ætati omnis cibus convenit, nec omni naturæ singula conducunt, sive calidiora sint, sive frigidiora: quia alimentum in substantiam assumentis convertitur. Ita infantibus molliora, adultioribus solidiora, senibus calida & confortantia apponenda sunt. Sic lac juvat pueros, vinum nocet; in viris & senibus dispar obrinet ratio. Quale enim alimentum assumitur, tale corpus efficitur. Ovis à capra lactata non balat, sed hircit, infantes cum lacte simul imbibunt nutticum mores. Nulli autem ætati, sexui, aut temperamento vel Orphica vita, vel Cereris nuptiæ commendandæ sunt, ne Synœrasis disturbetur.

§. 16. De fortunæ nutrimento parentes filiis prospicient, nam qui esse communicavit, bene esse non negabit, qui vitæ fomenta concedit, etiam vitæ ornamenta largiatur. conf. Lyfis Plat. & Cic. 2. d. Orat. cum 2. Cor. 12. 14. natura enim semper procurat conservationem sui, in persona, & propria, & à se producta, eamq; in honestate jucundissimam, per indeq; jus vitæ & necis patriâ potestate contra Rom. aliorû q; exempla & Bodini l. 1. d. Rep. c. 4. statuta eximit, non enim in atrocitate sed pietate jus patriæ potestatis consistit l. 3. ff. ad l. Pomp. de parr. hæc



hæc autem pro facultatum, personarum, temporum & locorum conditione genitis in subsidium præbet alimenta. Et si scopus filio laudabiliter præfixus sine Chrystomo obtineri nequeat, Pater pro suppellectilis amplitudine sumptus erogabit; nam Parentes, juxta JCtos, ad liberalem liberorum educationem legaliter compelli possunt. Quomodo possident nomen heredis, quod jure naturali aut heri sint paternorum honorum, aut iisdem inhæreant, nec, nisi per aliquam bis septem causarum, quia sceleribus jura ac privilegia naturæ intereunt, exheredari possunt. conf. Arl. 8. Nic. 14. & arg. l. liberi C. de inoff. quer. agitq; Arl. 1. Pol. 5. & 2. Oecon. 5. de re quæstuaris, notante Giph. in 1. Pol. 3. quod patrifamilias sit necessaria. Vid. Pl. l. 6. d. LL. in Orphanorum tutoribus intra 10. dies sub multa constituendis & l. 11. nec vos, ait, vestros esse arbitror, nec rem familiarem omnem esse vestram, sed totius vestri generis, præteriti, & futuri. Unde revocandi jus manet liberis, quicquid ante obitum alienatum fuerit in fraudem heredum. Arnis. c. 4. d. Rep. s. 4. n. 39.

§. 17. Quæ bona omnia, cum, ut caduca, sic abjectiora sint, quàm quæ hominis immortalæ animam satient, cujus tamen tanquam nobilissimæ partis & corporis hæc ac dominæ, 1. Pol. 3. & l. 1. de anima c. 5. exquisitissima est habenda ratio. Obligationis paternæ gradus supremus terminatur in informatione filii. Ita Pl. in Epitaph. Civitati mandat, ut parentum liberorumq; curam habeat, & hos quidem honestè erudiat, & in Theag. non video, inquit, ubi majore diligentia opus sit, si quis mentem modo habeat, quàm ut filium optimum reddat, nec est divinius quid, quo de quis consulere queat, quàm de institutione sui ac suorum. Quod Diogen. innotuit, quando videns juvenem bonorum morum facie turpi, anne illius bonitas, inquit, dat multum pulchritudinis faciei ejus? Nam forma civitatis non potest esse formosa, nisi civium animi sint formosi, nec Senatus-Consulta aut plebiscita, sed præclara instituta felicem efficiunt civitatem, quia homines malè instituti leges etiam exquisitissimas contemnere audent. Arn. 1. Pol. 18. ex Isocr. siquidem, secundum Arl. l. 1. m. m. c. 34. Principia assuetudine potissimum parantur, quæ si prava sint, ipsa naturæ jura obliterant: tantaq; vis in est institutioni, ut præter educationem legibus non sit opus, ceu Lycurg. canum gemellorum ad diversa assuetorum, exemplo luculenter testatur, conf. Arl. 8. Eth. 12. Cujus cum adeò, admirabilis sit efficacia, sedulo annitendum Patri, ut bona institutione, bonus efficiatur filius: qualem enim quisq; vult esse filium, talis est. Quia  
liberis



liberis ut ingenuis imperat, certè necesse est, ut eos instituat, *si quid ad honestos civitatis mores referat, pueros esse probos; quibus virtus non ipsorum immaturorum nomine, sed maturorum & moderatorum ratione tribuitur.* Arl. 1. Pol. 8. conf. Iphig. aul. Cui ut pater satisfaciat, Solon adeò rigide exposcit, ut etiã, quod iniquũ tamen est, noluerit ali Parentes à liberis, si honestis artibus non fuerint instituti. Plut. in Sol. Puer enim bestia Pastore indigente est intractabilior. si autem rectè educetur, omnis in vita recta sic navigatio. Pl. Dial. 7.

§. 18. Institutio aut mediata est, aut immediata. Ad utramq; obligatur Parens cum nihil debeat intermittere, quò filius bonus & beatus evadat. Illam cum Arl. 7. Pol. 17. dicimus *corporis motionem, ad acuendas ingenii vires institutam*: Et cum Plat. d. educ. & discipl. unum hoc ad virtutis animi partem summoperè conferre statui-  
mus, *exercitationem videl. infantium, quæ in motibus fit*; Quã dum curamus, ne membra propter mollitiem temeritatemq; deformentur, ac distorqueantur, cum exercitatio rebus magistret, labori ac patientiæ af-  
suefiunt animi, non quidem ferã veterum Scytharum, aliorumq; populorum immanitate, sed conducibili membrorũ minus proportionaliter dispositorum vibratione, & decenti ad harmonicos motus morum compositione, ne animi vigor marcescat. Quem institutionis processum, Plat. p. 826. & 827. cum conniventis & castigationis moderamine egregie delineat, & Arl. 1. 7. Pol. c. ult. inculcat, *liberos honestiori lusu, neq; illiberali, ne virtutum semina extinguantur, neq; valde laborioso, ne incrementum impediatur, neq; remissiori, ne ignavia & inertia torpescant, exercendos esse, ut rite corpus componere, animumq; virtuti applicare, discant.* Hinc à parentibus conversationes filiorum cum sordidis præcavendæ, cum heluonibus amandandæ, cum obscænis extirpandæ sunt. Quæ consideratio ipsis Ethnicis legem posuit, adolescentulis jamborum & comædiarum spectationes interdicentem. Solam morum conformitatem legitimis mediis regulandam Parentes filiis proponant institutionis normam. Unde Lacedæmoniorum morem servos ex potu insanientes in conspectum liberorum producentem secundum quid tantum probamus.

§. 19. Immediata acquiescit in perpolitioe virium animæ, quæ cum spiritales sint, quo magis à corporeis functionibus abstrahuntur, eo sublimius excoluntur, intellectus veri cognitione, voluntas boni electione, sensus communis seu phantasia rerum non sensatarum per-  
ceptione,



receptione, & appetitus ratione ad imperium rationis; quorum congruentia cum per liberales artes unice concinneretur, hæc tamen parte tota civiliter per gloriam vivamus, eam Pater Filio conciliabit, à teneris annis usque ad vite finem erudiet Pater filios, atque monebit Plat. in Protag. & quidem institutione exemplari, procuratione fidelium pædagogorum, & præceptorum, maxime publicorum, cum sic assuescamus civiliter vivere, & ad æmulandum virtutes incitemur, coemptione librorum, & omnimoda sumptuum, quocunqve veniant nomine, ad eruditionem acqyrendam, erogandorum suppeditatione. *Quod ipsum svidet interesse publicum.* Conf. Limn. l. 8. jur. publ. c. 7. ad l. 12. §. fin. ff d. admin. tut. l. 4. ff ubi pupill. educ. &c. Nam quia Pater tenetur dotare filiam etiam invitus, & filio sumptus suppeditare ad studia cogi potest; cum causa doris & studiorum à Dd. æqviparentur, non ratione portionis hæreditariæ, sed donationis officiosæ, quod præclare expedit Limn. l. c. *quoniam nuspian in jure constitutum legitur, alimentum a liberis præstita in collationem venire, aut in familia herciscunda earum hanc rationem haberi, ut in portionem alicui debitam imputari possint, ided nec illud à nobis dici posse. Quod enim lege non cavetur, in practica non habetur.* Nemo tamen ultra sortem tenetur, nec sic ad artem suâ arte nobiliorem, sed similem. Qvi omnes obligationis modi cessant, si quis sumptus malè prodigat. Qvi semel concessa dilapidavit, postea ex rigore careat.

*Cap. Tertium,*  
**QVO PARENTI OBLIGATUR FILIUS.**

§. I. Inæstimabilia Parentum munera liberis benignè concessa tantum obligationis genus pariunt. Nam non referre beneficium, aut beneficiis grariam, turpe est, à Macedonibus olim judicialiter punitum, ex communi gentium odio damnari solitum. Est verò obligatio hæc officiosissima, tum quod beneficiorum paternorum receptio libertas filiorum operatrix sit quasi vendita, licet ipsi ut liberi homines sint propter se ipsos, & inæstimabiles; tum quod beneficia nulla exhibere valeant, sed si omnia, quæ possunt, præstent, munia sua tantum retribuunt. Illi enim debes, quod habes, cui debes, quod es, quia ab ipso sum vita omnia habes. *Qui quid est, quod det Patri Filius, utiqve minus est,*



est, quia hanc ipsam dandi facultatem Patri debet. Ita beneficio nunquam vincitur, cujus beneficium est ipsum, quod vincit. Sen. 3. de ben. 30. Excellentia juris paterni in filium impensissimum patris amorem arguit, Arl. 8. Eth. 1. cui ut pro virili respondeas, honorem Diis & Parentibus exhibe, nemo enim referre his dignam gratiam potest, sed qui pro viribus colit, esse probus videtur. Arl. 8. Eth. 14. & l. 9. c. 1. quibus locis cum Diis parentes in honore comparat, procul dubio tacite indicaturus, tribus obligatoriis paternis tres filialis obligationis ordines respondere, & per honorem pietatem parentibus debitam amoris propensione, reverentiae cultu, & obedientia observatione esse exprimendam; ita tamen honorandum esse Genitorem, ut praeferatur Creator.

§. 2. Amor est affectus cordis nobilissimus & actuosissimus, latere nescius. Conf. historia Heraclitri Philosophi: quo potentiae propriae refractae amari arbitrio submituntur & uniantur. Causae amoris sunt bonum seu honestum, jucundum & utile. Arl. 8. Nic. 2. quarum singularum ratione filius obstringitur ad amandum Patrem: Sive enim amicitiam contemplerur ut virtutem, sive ut cum virtute l. c. c. 1. Patri amorem debet filius; ratione honestatis quidem, quia non solum omnis homo ratione specificae similitudinis, morum affinitatis, fraternae conjunctionis, sociae educationis, tranquillae securitatis, civilis communionis, & communis mortalitatis, aliisque de causis amicitiae favore prosequendus, conf. l. 8. Eth. c. 12. verum etiam excellentiores aliis ob eximiam virtutem, majores ob gravitatem, Seniores ex aetate, & maxime parentes propter majestaticam bonitatem intimiori amoris ardore sunt fovendi: Natura enim bonum parentibus praestabilius non dedit filiis; gloria Parentum praeclarus est, magnificusque natis thesaurus Pl. in Epit. Si utile spectes, ipsorum beneficio exultimus, educamur, informamur, & omnia nostra possidemus: Sin jucundum intueare, quid magis afficiet, quam rivulos amoris in profunditatem scaturientem redundare. A Patre amor derivatur in filium, Patrem filius aequo redamationis popysmate demulceat, si amor indigno communicatur, animus inquietatur, sin vero amor filialis in paternum mare refunditur, tanquam in naturali loco in gaudio quiescit: Ut enim amore nihil suavius, sic amore hoc mutuo nil dulcius. Amare Parentes prima naturae lex est.

§. 3. Amore complectimur dilectionem & charitatem, quarum  
illa



illa est amor rationalis, hæc verò animalis, & fermè dixerim, etiã naturalis; illa intellectu cum iudicio eximia eligentis, hæc appetitûs, convenientia, sive in se, sive apparenter talia, desiderantis: Utrâque amoris specie Parenti obligatur filius; posteriori cum Patre filio intercedit quædam proportio, quâ illi approximatur amore concupiscentiæ; priori autem ipsi jungitur & proximè unitur amore amicitia. *Amor enim fieri debet ex proportione, ut melior ametur magis, quàm amet, & utilior, & aliorum unusquisque & c. l. 8. Eth. c. 7.* Amans enim transit ad naturam amati, non confusione & permixtione naturali, quâ unum necessariò efficiatur utrumque, vel omnia, vel unum intereat, ut putat Giph. l. 2. pol. c. 2. *leviorem amicitiam civium svadens; sed assimilatâ morali, in unione separatâ, & in separatione unitâ, eiq; se ita conformat, ut unus saltem compareat in diversis corporibus esse animus.*

§. 4. Hinc est, quod nulla ad amandum sit efficacior provocatio, quàm amore præveniri & juvari. Sub Sole autem non amatur homo prius & conducibilius, quàm à parentibus: *Id enim natura tributum est, ut ii, qui procreati essent, à procreatoribus amarentur* Cic. 4. d. fin. Ut horum munere vivere illos deprehendimus, sic eorundem benignitate ipsos in extremis infantia angustis tutelari auxilio protegi, & paternâ curâ ad pubertatem provehi palpamus atque experimur. Quæ beneficiorum genera qui non satagit grato redhostre animo, Marpesiâ cautè durior sit, oportet. Nam beneficia in liberos collata sunt planè inestimabilia. Nutrix promptè lactet, Præceptor fideliter instituat, alii præfecti tuam splendidissimè exornent spartam, gratiam istis non debemus singularem pro opera, ceu quam venalem exposuerunt, sicq; nullum beneficium præstiterunt. Sostrium & Salarium dexteram illorum promptitudinem nisi superando, cerrè exhauriendo sunt. *Quod emi, non debeo.* At Patres benevoli omnia, & quanta! bona gratuito communicant, nihil detrectant, quævis liberaliter subministrant, quæ qui amicâ gratiæ mente non agiturus est, ingrati vitii ignominiam incurrit, gratiâ ulteriori non alendus.

§. 5. Amor gratiæ filios ad omnia humanitatis officia, quotquot ullâ ratione excogitari possunt, Patri præstanda naturaliter obligat. Ut enim Pater solâ *σφγñ* ductus innumera beneficia liberis gratis collocat; sic liberi præter affectûs vehementiam Parentibus ex debito naturæ constringuntur, *quos amare debent, ut ab illis enati.* 8. Eth. 12. *Parentes suos*



*non amare impietas est; non agnoscere insania.* Sen. 3. d. ben. r. Amor autem multa sibi denegat, ut ea amato imperiatur, se abnegat, ut dilectum agnoscat. Sic liberi norunt, quod non sint sui, sed parentum filii, proinde se gerant tanquam in potestate superioris constituti. Tales fiant parentibus, quales erga se natos suos optant. Isocr. conf. Arl. 7. Eth. 6. vivant morigeri.

S. 6. Præcipue autem amor erga Patrem se exerie 1. Agnitione seu Confessione, quâ filius Patrem etiam obscurum profiteretur suum esse Patrem, qui præsumptionibus & conjecturis verisimilibus deprehendi potest, nec cum Cajo se ex incesto Regio potius procreatum, quàm ignobili parente honestè generatum, jactuat crimen impietatis incurrens. Conf. Svet. in Calig. n. 23. 2. Nutritione, ad imitationem filix Cimonis Patrem fame necandum uberibus alentis, & natæ Romanæ matrem ingenuam pectori admoventis. Val. M. l. 5. c. 4. Quod tibi voluisti fieri à Patre, idem ipsi præstes; mutuo accepta reddas. Omnia à Patre s. donationis, s. causalitatis titulo possides; singula egentis retribuas; unde Solonis præceptum *ὁ θεὸς γονέας μὴ ἐξέφρων ἀπὸ τοῦ ἔσω;* nam juxta Cic. de resp. arusp. Parentibus nos primùm natura conciliat, quos non alere nefarium est. quod pietatis officium tam spurios, quàm ex legitimo conjugio natos obligat. Alere enim parentes non est gratuitum quid, sed debitum; nam si alo parentem, minus reddo, quia posterior alo meæ nutritionis & universæ incolumitatis fontem ac fabricum, contra Senec. ep. 33. l. 3. de benef. tenore dicti 2. Tim. 5. 4. 3. Alienatione operariâ; nam à Patre in libertatem assertorum operas pro libertate patris æquitas mancipat alienis servitiis; quia vero imperium Patris in filium non est despoticum, sed politicum, filius non potest pro Patre subire servitutis jugum perpetuum, si illud non sit solarum operarum, ad sublevandam patris egestatem exanthlandarum, sed personale, præsertim quia servitus est mors civilis; mori autem pro Patre, quâcunqve illud fiat ratione, est contranaturale, cum Pater per filium vivere intelligatur. 4. Virium corporis subministracione, etiam cum periculo vitæ, nisi mors facto inevitabiliter imminet. Sic celebramus Æneam, Parentem senem, per medias Trojæ flammis, super humeris, inter oscula deportare non formidantem; & Amphinomum cum Anapo Siculos utrumqve parentem Ethnæ faucibus animosè eripientes, 5. Promptissimâ animi propensione, abominante ea, quæ genitori nocitura



erura videntur, exoptante autem & procurante optabilia. Conf. historia uxoris Intaphernicæ præ marito & liberis parentem servantis; & magnanimi Coriolani, stupente Senatu, trepidante populo, viris pariter ac mulieribus exitium imminens lamentantibus, nec legatis Romanorum exorati, nec missis Sacerdotibus cum infulis mori, non attentâ Volumnia uxore, nec respectis liberis, Matri dilectissimæ patriam dantis. His & similibus amoris nominibus obligantur filii Patribus, non solum bonis, verum etiam patriâ potestate abutentibus, morosis, & tyrannicis, quia & ab his habent, quod possident, licet minus amplum, & molestum; Magistratus iniquus est etiam Magistratus, amore & honore venerandus: Parentes iniusti parentis titulum non deponunt, nec amore filiali privandi sunt, ceti quos Deus ipse præposuit, natura concessit, ætas evexit, eminentia status ampliavit, & beneficiorum certa genera amabiles, etiam inter angores, nobis reliquerunt.

§. 7. Amor est mater Reverentiæ, se ipsum extenuat, amatum honorat; Cui amor impar est, ad id reverentiam assumit auxiliatricem; Amicitia filii cum Patre non assequitur *Φιλίαν ἀρχον ἢ πρεσβείαν πατρὸς*, reverentia ad eam propius accedit. Est autem Reverentia religiosus superiorum cultus. Parentibus itaque filii illam debent, quia Pater præsidet filiis, imperium in ipsos obtinet Regium, genere prærogativam meretur, & ætatis dignitate venerabilis est. *Existimandum est, juxta Plat. de LL. nullum apud Deos magis honorandum simulacrum habere nos posse, quam Patres & Avos senio confectos, matresq; similiter, quibus honoratis Deus gaudet.* Honorem generat & cumulat beneficium, quo nemo te maclat preciosiorem, quam parentes. Proinde *honor parentibus, quemadmodum & Divis, exhibendus est.* *Arl. l. 9. Eth. c. 2.* Conscientiam non sauciaturus, transgressione legis divinæ expressæ: **HONORA PATREM & MATREM;** contemptu promissionis additæ, de longævitate & benedictione super terra; aut naturalis æquitatis violatione, gentiumq; consensu posthabitione, honore præveniat Patrem reali, mentali & verbali.

§. 8. Reali honore veneramur Patrem, dum ejus voluntati nos conformamus, arbitrio ipsius omnes actus nostros, maxime præcipuos, pro ætate, & longo rerum ulu dirigendos committimus, nos ipsi submittimus, nunquam resistimus, sed universum vitæ curriculum intra cancellos placiti & indulti patrii absolvimus. Excellentissimum



autem reverentiæ filialis specimen elucet circa contractum matrimo-  
nii, actûs, citra controversiam, nobilissimi; cum societas, quæ Patri  
cum filio intercedit, ex propagatione generis primum orta sit; & si ad  
sponsalia convenire debent cognati, quia commune genus est, Arl. l. 9. Nic.  
c. 2. Parentum consensus ad eadem de necessitate utriusque requireretur;  
Nam hi propinquiores sunt, horum imperio liberi sunt subditi, l. 8. Eth.  
c. 13. familiam, dignitates, & privilegia ipsorum sequuntur, & generati  
sunt, ut Pater per illorum gloriam vivat ac vigeat sempiternus. Igitur  
nequaquam se ipsos alienare possunt, aut alienam in familiam inducere,  
in vitis parentibus. Conf. fabula Veneris circa nuptias Cupidinis &  
Psyche, Adde suffragium Hermiones ad Orestem in Androm. Eurip.

Νυμφωμάτων μὴ τ' ἐμῶν πατρὸς ἐμὸς  
μείμνων ἔσθ', καὶ ἐμὸν κείναι τὰ δε.

Non autem eo usque se extendit hæc obligationis ratio, ut filius ex de-  
lictis parentis criminaliter conveniri queat, qui deliquit, luat. In levio-  
ribus autem casibus, si se spontaneâ reverentiâ substituatur, crimen Patris  
in filio vindicari quid verabit?

§. 9. Verbis & mente debitam reverentiæ speciem exprimimus  
& contestamur, Patres laudando, virtutes ipsorum deprædicando, ad-  
mirando, suspiciendo, delicta non detegendo, qui enim peccata Patris  
detegit, se ipsum prostituit, & cum Chamo maledictionis pœnam in-  
currit; nec facile in jus vocando, nec irritando, aut ad iram provocan-  
do, sed patienti tolerantiam injurias, si quæ inferantur, paternas sufferendo,  
prospera quæque apprecando, & pro ipsorum salute Deum solli-  
citando.

§. 10. Hæc reverentiæ obligatio quamvis universalis sit, hodiè ta-  
men vel sexcentorum eam transgredientium catalogus texi posset, licet  
tam detestabilis flagitii, & sceleris nefandi memoria tempore Solonis  
vix exstiterit; unde rogatus, cur nullam in eum, qui parentem necas-  
set, pœnam decrevisset, respondisse fertur, *neminem adeò detestabilem  
fore, quem id sacrum putaret*, pietati à naturâ cordibus filiorum inscri-  
ptæ firmiter credens. Ast, bone Deus, in quæ nos reservasti tempora!  
liberi irreverenter agunt cum Patribus, propellunt, verberant, intesti-  
no parentum odio sæviunt, patrios cineres permingunt, & Parentum  
cervices frangunt. Quia delicta adeò crescunt, pœnæ exasperandæ  
& multiplicandæ sunt, ut justa inter pœnam & delictum habeatur pro-  
portio,



portio, & mali inter reverentiæ limites contineantur. Sic impiis par-  
ricidis lege Pompejâ ap. Cic. pro Rosc. Amer. dicitur poena pro gravi-  
tate culpæ acerrima, poscens, *ut si quis parentis fata properaverit, neque  
gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemnipoena subiciatur, sed insutus  
suleo, cum cane, & gallo gallinaces, & viperâ, & simia, & inter eas ferales  
angustias comprehensus vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur; ut  
omnium elementorum usu vivus carere incipiat; & ei cælum superstiti, &  
terra mortuo auferatur.* Rationes integri processus mirabilis confe-  
rantur ex variis passim. Quo supplicii genere primus omnium affe-  
ctus legitur Publius Malleolus matricida.

§. 11. Si quandoque impia filiorum in Patrem irreverentia non  
punitur à Magistratu, Deus ipse justus Judex & Vindex illam ulcisci-  
tur, sive Angelis suis, sive diabolis executoribus. Conf. inter alia me-  
moranda exempla ex Richt. axiom. 270. hist. sive etiam parentum ne-  
glectorum diris imprecationibus; nec hîc excusatio naturæ aslvetæ ex 7.  
Eth. 6. absolvit; Oedipus contemptus à filiis ea illis imprecatus est,  
quæ exaudita, effectaq; à Diis apud omnes feruntur; Amyntona ira-  
tum Phœnici filio, Thesea Hyppolito, plures pluribus realiter ma-  
ledixisse historiæ clamant. *Quibus apertissimum factum est, à Diis preces  
Parentum adversus filios exaudiri; nihil enim imprecatione Parentis non  
injuriâ perniciosus est filio. Nemo verò, cum Pater aut Mater ab eo con-  
temnitur, tunc solùm à Deo putet orationes eorum secundum naturam exau-  
diri, sed cum etiam honorantur.* Plat. dial. II. d. LL. Persis in præsentia  
alicujus Satrapæ ne quidem exspuere integrum erat, & Atheniensibus  
in conspectu Areopagitarum cachinnatio interdicebatur. *Qui se er-  
ga Parentes non decenter gerit, hunc omnia pudoris jura impudenter  
resolvissè statuas.*

§. 12. Hoc tamen ita intelligendum, ut repræsentata reverentiæ  
species publico officio, in solemnioribus actibus, quâ externa, cedat;  
Cum enim filius nonnunquam Magistratum, & sic universæ Reip. per-  
sonam gerat, dignitatis publicæ respectum merito obtinet. Propterea  
etiam 4. Decalogi Præceptum affirmativè traditum esse ducimus, quod  
ut semper, sic non ad semper obligare debeat; semper quidem, quod  
nullo tempore reverentia erga parentes omninò exuenda; non ad sem-  
per, quod non ad omnes casus etiam extra familiares & publicos exten-  
denda sit. Hîc enim filius non consideratur ratione originis & familiæ,  
sed



Sed ratione dignitatis & eminentiæ, quo respectu ipse habetur loco Patristam. sublatâ autem filiationis contemplatione etiam cultus filialis cessat, & cum Fabii filio publica instituta privatâ pietate priora judicanda sunt: Verum filiatione formaliter attentâ filialis reverentia paternæ dignitati semper ministrat. Conf. auream Tauri ap. Gell, l. 2. noct. Att. c. 2. sententiam.

§. 13. Reverentiæ cultus pandit obedientiali venerationi campum, ubi Reverentia habitat, ibi obedientia non exulat, nam reverentia est obedientiæ signum infallibile, ut fumus ignis. Utur autem obedientia civilis hodierna merè verbosa firmè sit, filialis tamen vigilantî præceptorum paternorum observacione claret, in omnibus ijs, quæ cum honestate non pugnant, si nes turpia præcipiantur, nec salutaria prohibeantur. Ad hæc obligatur Patri filius, quia *pater sam. ætate præstat & perfectus est, junior autem imperfectus, & inchoatâ consilii gaudet & iudicii vi.* Naturâ itaque Pater filiorum obtinet imperium. l. i. Pol. c. 8. Idem amicitia paternæ stabilit supereminentia, consensusq; omnium gentium confirmat, & lex moralis: *Honora Patrem* spontaneam subjectionem postulat, eamq; *καὶ πάλιν* juxta exegesi Col. 3. 20. Nihilominus tamen, si quæ contra parentis malè præcipientis voluntatem ritè committuntur, citra inobedienciæ crimen rectè peraguntur: *Nulla enim est excusatio, si amici causâ peccaveris; nam cum conciliatrix amicitia virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à veritate discesseris.* Tum id solum inobedienciæ arguit, quod sanam rationem destruit, obedientia enim est subjectio conformis dictamini sanæ rationis, quæ ad normam Parentum superiorum Dei & naturæ dirigenda, ut honesta per se expetantur, turpia ex insito odio fugentur; attamen citra reverentiæ abjectionem. Nam honorem quemadmodum Diis, non omnem tamen, debemus parentibus; neque enim eundem Patri & Marri. Arl. 9. ad Nic. 2. & iterum ibidem: *Non eadem omnibus esse retribuenda, neque Patri omnia, quemadmodum neque Jovi sacrificantur, obscurum minimè est.* Si autem dubitant liberi, utrum jussa parentum honestati consona, num verò absona sint, tutissime acquiescunt paterno imperio, & ignorantia simplici excusantur, præsertim si adhuc sint imperfectioris iudicii, & pars familiæ paternæ: nam *Parentum excellens potentia per animorum consensum, ministeriumq; constat* l. ii. Eth. c. 14.

§. 14. Quandoque præcipiuntur aut prohibentur quædam, quæ  
de ho-



de honestatis ac turpitudinis ratione intimè quidem non participant, nihilominus tamen suis difficultatibus & incommodis, ob alia annexa, & eventualia Symptomata, non carent; ut si Pater feбри laborans contra Medicorum placita à filio frigidam poscat, aut rabie correptus mortifera instrumenta sibi porrigi jubeat, utrum in his & similibus casibus Patri filius obtemperare debeat, nec ne, impedita est quaestio, & intricata disceptationis. Nos citrà controversiam, praesupposito, casus singulares ex personarum, causarum, temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum qualitatibus esse arbitrandos, & ex comparatione mediolorum cum sine objecti dijudicandos, statuimus, his postulatis non standum filio, enascente inde quodam absurdo incongruo, aut evidenti incommodo, ac damno irreparabili, sed judicio parentum per discretissimam aliquam depravato, pro posse & novisse, subveniendum esse. singulis enim propria & accommodata media sunt attribuenda, nec in foro humano peccat, qui citrà mentem egentis bonà intentione ejus imbecillitati succurrere eligit & allaborat.

§. 15. Secus ab Obedientia filiali nulla lex positiva, potens est liberare, nedum Papicolæ valent suos Clericos per vota monastica sub specie religiosa eximere; Nam lex naturæ est immutabilis, nulla constitutione humana aboleri potest: nec lex Dei praescripto Monachorum abrogatur. Interim certum est excuti imperium paternum, quando vinculum obligationis morte alterius rumpitur, aut filius sive per emancipationem, sive per aliud honorum spectabilem cacumen sui juris esse relinquitur. Dum autem imperio Patris lubest filius, paterno consilio tanquam ratione regitur non aliter, ac appetit rationi obediens, neque in doctrinalibus, neque in castigationibus immorigerus, multo minus resistens; Restrigitur autem imperium paternum per ea, quæ aut filiorum emolumento, quod sua prudentia procurabit Pater, conducant, aut paterno honori, quem grata liberorum reverentia venerabitur, inserviant.

§. 16. Obedientia enim filialis se non onerat servitute, ut mulci autumant; verum cum servi vocabulum culpa induxerit, non natura, & tamen obedientia illa etiam in statu primævo futura fuerat, libertatis nomine eam majori jure insignimus. Ut enim libertas civium consistit in observatione optimarum legum, sic & liberorum libertas perficitur per obedientiam, quam qui non exercet, degenerat perpetrationse

D

inobedien-



inobedientia & omissione actuum debitorum in servum peccati, & consequenter pœnarum.

§. 17. Si verò obligationi huic mutæ à neutra parte per vires proprias possit satisfieri, ne desint officio Parentes, ardenti gemitu commendent filios suos Patrifam, cœlesti, qui pro immensa suæ misericors diæ bonitate filium suspiriis sibi oblatum nunquam derelinquet, sed omni benedictionis fructu beabit. Filii autem suis partibus optimè consulent, si pro salute parentum igneo Spiritu preces ad Deum fundant. Sic enim clypeus Domini Parentes tutabitur, & umbra alarum ejus filios proteget.

### CORONIDES.

1. **M**ors est naturalis & non naturalis.
2. **M**ors non est dissolutio animæ à corpore.
3. Nec à somno, nec à vigilia vitam auspicamur.
4. Iridem fuisse ante diluivium certissimum est.
5. Nullus ignis exstingvitur aquâ.
6. Ignis naturaliter non movetur sursum, sed circulariter.
7. Cælum non potest moveri.
8. Bis bina non sunt quatuor, Unum sunt multa.
9. Globus est corpus irregulare, nec tamen terra geometricè rotunda est.
10. Qui Spiritum quantum esse dicit, verum dicit.
11. Idiomatum realiter non distinctorum communicato uno non statim communicatur alterum in Physicis.
12. Civitas est prior domo.
13. Imperator omnibus legibus solutus non est.
14. Domini ad servum non datur amicitia.
15. Machiavelli Princeps in multis applausum meretur.
16. Leges sint sine Prologo.
17. Mendacium omne, etiam jocosum & officiosum, peccatum est.
18. Non omnes facultates animæ inferiores subsunt imperio
19. Quis unquam vidit hominem? (voluntatis.)
20. Omnis finis malus rem ex objecto bonam corrumpit; nullus a finis bonus rem ex objecto malam potest concinnare bonam.



Umbonem scandes, Præclaro Præfide fretus,  
Pallados & Themidos semper - alumne  
bonæ,

Mutuam amoris opus nunc hunc resonare doce.

Quod suboles Patri fert Suboliq; Pater. (bis,  
Præsta tete virum; votis responde Parentum.

Sic factis quondam præmia digna feres.

Adsit Jova tuis, & Præfidis ausibus exin,

Ut metam optatam tangere uterque queat.

*Sincero Affinitatis & Sobrinitatis affectu L. M. Q. scrib.*

JOAN. BERNHARD. ZINZERLING, D.

\*\*\*\*\*

Ad Per-eximium Dn. RESPONENTEM,

Sobrinum meum percharum.

Obligat æternum nos Patria cura Tonantis,  
Nobisq; in Gnato se obligat ipse suo.

Primus amor Jovæ est; mortalibus obvenit alter,

Præsertim hic gnatos obligat atque Patres,

Mutuam hoc officium quo gnati quoque Parentes

Jure sibi obstricti, tradis, Amicæ, bene

Non soli chartæ sint illiæ dogmata ranta,

Cordi inscripta sient, re pateantq; probè.

Ambigo nullus ego quin feceris hoc, Sobrine,

Cuique suum tribuens, vult ut uterque Parens,

Et spero posthac facturum talia remet;

Hinc tibi præsentem tu stipulare Deum.

Obligatus amicitia lege scripti

Joachimus Lindemann,

Ecclesiæ Marianæ Archidiac.

Officium



**O**fficium triplex Patris Te ornavit, Amice,  
Huic triplici Officio grata reponere bona.  
Sic Te ditabit, magni Patris æmule Fili,  
Gratia dia Dei, prospera quæque dabit.

Politissimo Dn. Respondenti cum prolixiori  
Benedictionis divinæ Voto scr.

P R Æ S E S.



*Ad Pereximium & Præstantissimum*

**D N. RESPONDENTEM,**  
Contubernalem meum omni amicitia genere  
æratem suspiciendum.

**P**rimicias genii claras, dum EGGBRECHTE reponis  
Jobæ, quæ pietas! Jura verenda Patris  
Offers, quid mirum? veneraris corde Parentes,  
Nec sua Jura negas, en pietatis opus!  
Sacras Natura leges non temnere svesti,  
Quæ stringunt Patrem, quæ genitumq; ligant.  
Has nosti leges, tua solvens munia Patri,  
Et per has capiens tradita dona Patris.  
Ergò te sanctè venerantem jussa Parentum,  
Excipiet magno Magnus honore Deus;  
Quod voveo! Numen devotâ mente precatus,  
Ne nolit studiis semper adesse tuis.  
Fortiter & patrias pergas diffundere laudes,  
Floreat ut terris incluta fama domus.

Gratulabund. posui

**Georgius Rodemejer,**  
Neob-Lun. S.S. Theol. &  
Phil. Stud,













portio, & mali inter reverentiæ  
ricidis lege Pompejã ap. Cic. pro  
tate culpæ acerrima, poscens, ut  
gladio, neque ignibus, neque ulli  
enleo, cum cane, & gallo gallinaceo  
angustias comprehensus vel in vicinis  
omnium elementorum usu vivus ca  
terra mortuo auferatur. Ratio  
rantur ex variis passim. Quo si  
ctus legitur Publius Malleolus r

§. 11. Si quandoque imp  
punitur à Magistratu, Deus ipse  
tur, sive Angelis suis, sive diabo  
morandæ exempla ex Richt. axio  
glectorum diris imprecationibus  
Eth. 6. absolvit; Oedipus cont  
quæ exaudita, effectaq; à Diis a  
rum Phœnici filio, Thesea Hy  
ledixisse historiæ clamant. *Qui  
Parentum adversus filios exaudiri  
injuriã perniciosus est filio. Nem  
remittitur, tunc solùm à Deo putet o  
diri, sed cùm etiam honorantur. P  
alicujus Satrapæ ne quidem exip  
in conspectu Areopagitarum ca  
ga Parentes non decenter gerit, i  
resolvisse statuas.*

§. 12. Hoc tamen ita intel  
species publico officio, in solem  
Cùm enim filius nonnunquam M  
sonam gerat, dignitatis publicæ r  
etiam 4. Decalogi Præceptum aff  
ut semper, sic non ad semper obl  
nullo tempore reverentia erga pa  
per, quod non ad omnes casus eti  
denda sit. *Hic enim filius non co*

antur. Sic impiis par  
ictatur pœna pro gravi  
fata properaverit, neque  
subjiciatur, sed insinus  
simia, & inter eas ferales  
annem projiciatur; ut  
& ei cœlum superstiti, &  
cessus mirabilis confe  
primus omnium affe

patrem irreverentia non  
& Vindex illam ulcisci  
s. Conf. inter alia me  
ve etiam parentum ne  
ntio naturæ aslvetæ ex 7.  
ea illis imprecatus est,  
untur; Amyntona ira  
s pluribus realiter ma  
factum est, à Diis preces  
mprecatione Parentis non  
ter aut Mater ab eo con  
secundum naturam exau  
LL. Persis in præsentia  
erat, & Atheniensibus  
dicebatur. *Qui se er  
doris jura impudenter*

epreæsentata reverentiæ  
s, quâ externa, cedat i  
sic universæ Reip. per  
tò obrinet. Propterea  
um esse ducimus, quod  
semper quidem, quod  
exuenda; non ad sem  
iares & publicos exten  
one originis & familiz,  
sed

